

Hermann Heltberg Petrus Scharlingius


## **Exercitationum Logicarum III. De Quinque Universalibus Seu Praedi Cabilibus**

Rostochii: Myliandrus, 1609

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729110214>

Druck Freier  Zugang







51

R. U. phil. 1609. 10.


12 916

35 1717











5  
*Annunte & Benedicente Domino*  
Exercitationum Logicarum

III.

DE QVINQUE UNI-  
VERSALIBUS SEU  
PRÆDICABILIBUS.

*Ad quam*

*In Rostochienſium Academia*

SUB PRÆSIDIO

M. HERMANNI HELTBERGII  
Walsrodæ Lunæburgici.

Responsurus est

PETRVS SCHARLINGIVS Rostochienſis  
*Megapolitanus.*

Ad diem XXIII. Decemb. Hora  
& loco conſuetis.



Rostochi Typis Myliandriniſ, Anno clø løC lX.



REVERENDO CLARISSIMO ET  
*omnis generis doctrina conspicuo viro,*

DN. EILHARDO LVBINO,  
S. Theologiæ Doctori & Professori Academiae  
Rostochianæ celeberrimo.

ET

*Amplissimo, Consultissimo & multiplici rerum poli-  
ticarum usu præstantissimo,*

DN. HERMANNO SCHILLINGIO,  
Inclutæ Reip. Rostochiensinn. Senatori dignissi-  
mo & vigilantissimo.

UT ET

*Clarissimo & multijugâ eruditione conspicuo viro,*  
DN. M. IOANNI POSSELIO, Græ-  
cæ Lingvæ P. P. & Scholæ Patriæ Senatoriæ  
Restori dignissimo.

NEC NON

*Reverendo, pietate, virtute verâ & Doctrinâ viro  
Clarissimo,*

DN. M. IOHANNI CHRYSOLITHO,  
Ecclesiæ Christi ad D. Nicol. Rostochij  
Pastori vigilantissimo.

Musarum, Musarumq; cultorum Fautoribus  
munificis,

Dominis Mæcenatibus, Promotoribus atq; Patronis, omni  
observantiâ, honoris, atq; obsequij studio per-  
petuò colendis.

*Hæc studiorum suorum primitias <sup>in</sup> & felix novi anni auspiciis  
& debita observantiâ & honoris æquæ, & sua  
commendationem dedicat, offert*

PETRVS SCHARLINGIVS Rostoch. Respondens



## Prooemium.

**P**ost perfectionem primæ partis prooemij nostri Logici videlicet definitionis & divisionis ejusdem, tempestivum jam erit ut cum reliquis Aristotelis discipulis & sectatoribus, ad ipsas res in prædicamentis collocatas animum & cogitationes nostras convertamus. Cum autem res in prædicamentorum serie dispositas Logicus eum in finem à Metaphysico, qui proprium & primarium jus earundem sibi vendicat & assumit, mutuetur, ut ex illis modum quo de se invicem prædicantur, & sibi attribuuntur, addiscere & percipere possit; ipse autem modus admodum difficilis & non omnibus obvius sit. Ideò Porphyrius, quendam tractatum qui modum prædicandi rerum de se invicem patefaceret, in gratiam cujusdam Chrysaorij discipuli sui, imò omnium Logicæ studiosorum conscripsit, & prædicamentis ad meliorem eorundem cognitionem prooemij loco, qui vulgò introductio Porphyrii, seu doctrina de quinque universalibus seu prædicabilibus inscribitur & quem adhuc plerique Philoſophorum tanquam utilem & fructuosum retinent & doctrinæ rerum Aristolicæ eundem præmisit. Qua de causa & nos, ne novatores & nobis solis, ut hodiè sit sapere videamur, communè Peripateticorum scholam imitantes, hanc doctrinam de universalibus seu prædicabilibus tractatum Aristotelis de rebus ad meliorem ejusdem & faciliorem perceptionem præmittemus.

*si ipse pater*

*Causa quare prius de prædicabilibus egerit, quam de prædicamentis sit actum.*



## Theorema Primum.

Universale apud Eruditos varias & multiplices habet acceptiones.

I. Quod pleriq; Eruditi suadent, & ubiq; si de necessitate est observare solemus, id hoc in loco minimè negligere & silentio præterire volumus nimirum ut vocabuli Universalis ambiguitatem, quam aliàs apud Philosophos obtinet discutiamus.

Universale dicitur  
pbr: complexum  
Xim & in  
Complexum.

II. Primò enim universale aliud dicunt esse complexum, aliud incomplexum: Complexum universale Philosophis est Enunciatio cum signo universali: ut Omne animal vivit: omne corpus est quantum.

Complexum

Universale in complexum dicitur simplex aliqui terminus extra Enunciationem constitutus, seu dicitur unum aliquid simplex ad ordinem plura habens quod multiplex esse potest per ordinem multiplicem, quem unum ad plura potest habere. Francisc. Tolet. in librum quinq; universi. Porphyrij quæst. 1. Jacob. Mart. lib. 1. exercit. Metaphys. exercit. 8. theor. 1 & 2.

Incomplexum

Universale simplex sive incomplexum triplex.

III. Atq; hoc universale simplex seu incomplexum rursus triplex faciunt, 1. unum in causando, 2. alterum in significando, 3. tertium in predicando. Universale in causando est, quod quidem in se & sua natura unum & singulare est, ad plura tamen producenda valet. Atq; hoc respectu Deus optimus ter max. qui quidem in se consideratus res una & singularis est, multorum tamen nimirum mundi & omnium in eo existentium honorum causa celebratur.

13

IV. 2. Universale in significando est una vox univoca plura significandi vim habens. Atq; hoc respectu humana natura, equina natura, bovina natura & similia, sunt universalia in significando, quia per humanam naturam denotantur omnes homines, per equi



per equinam omnes equi, per bovinam naturam omnes boves significatur.

V. 3 Universale deinde in predicando est, quod de pluribus predicari & dici aptum est, ut animal aptum est de pluribus predicari & dici videlicet homine, asino, equo, & similibus: Sic homo universale est, quia de pluribus predicari potest, videlicet de Petro, Paulo, Andrea, & omnibus singularibus. Francisc. Tolet. in lib. de Quinq; Univerfal. Porphyrij in quæst. 1. Corn. Mart. in commentat. Metaphys. f. 262. Jacob. Mart. lib. 1. exercitat. Metaphys. exercitat. 8. theor. 1. 2. & 3. Clemens Timpl. lib. 1. quæst. Metaphys. cap. 3. quæst. 19.

VI. Ut autem intelligatur de quonam universali hic nobis sermo sit, dicimus, quod non de universali in causando, neq; de universali in significando sed tantum de universali in predicando loquamur, atq; hac ratione universalis & predicabilia pro uno eodemq; sumere & accipere. Vocantur insuper hac universalis modi predicandi, introductio Porphyrij, & quinq; voces multasq; assumunt significationes. In unum tamen finem hic omnia sunt proposita, nim, ut sint doctrina modum rerum de se invicem predicandi monstrans. Si itaq; quis velit hunc Porphyrij tractatum vel commentationem, quinq; universalis, quinq; Prædicabilia, quinq; voces, introductionem Porphyrij, modos predicandi & similiter vocare, cum eo non litigabimus, modo teneat ipsam rem, & finem in quem hac doctrina hic sit proposita & declarata.

### Theorema Secundum.

Prædicabilia seu Univerfalia sunt conceptus secundi, qui ostendunt & declarant,

A 3

quo-



quomodo res in categorijs collocatæ, de se  
in vicem dici & prædicari possunt.

I. Dicimus Prædicabilia seu universalia esse conceptus secun-  
dos, ut hac ratione à conceptibus seu notionibus primis in prædi-  
camentis collocatis & dispositis distinguantur. Hi enim conce-  
ptus sunt ipsæ res quæ extra animum in rerum natura, etiam si  
mens humana nunquam operetur & agat, consistunt & suum esse  
habent: Hi verò opera & noëmata intellectus humani, quæ nul-  
libi in rerum natura, nisi mens humana operetur, existunt & su-  
um esse habent.

RES (in disciplina)  
nihil absq' nisi  
trahi debet.

II. Indicamus etiam in theoremate nostro usum seu finem ho-  
rum conceptuum, dum eos modum & rationem, quâ prima notio-  
nes seu res ipsæ in prædicamentorum serie collocatæ de se invi-  
cem prædicentur & sibi attribuantur monstrare nobis & decla-  
rare, asserimus. Nulla enim res in disciplina aliquâ, quæ non sin-  
gularem aliquem usum & fructum, quo nobis ad finem illius di-  
sciplina obtinendum inservit & opitulatur, tradi & proponi de-  
bet. Quapropter etiam Porphyrius qui prædicabilium seu hujus  
commentationis autor celebratur hujus suæ commentationis, dum  
eam ad res in prædicamentis propositas, facilius percipiendas facere  
& conducere dicit, utilitatem & usum indicat sufficientissimum.

16. III. Cum enim res non cognoscendi seu scientiæ causa, ut in  
Metaphysicis. Physicis alijsq; disciplinis realibus, ab Aristotele a-  
lijsq; Philosophis in Logicâ, sed prædicandi gratiâ seu quæ de se  
in vicem, vel ut genus, vel ut species &c. prædicari possint tradan-  
tur, & earum declaratio & tractatio instituat; ipse autem  
modus & ratio, quâ res sibi in vicem attribui possunt, sit admo-  
dum difficilis perceptu. Ideo Porphyrius ut superius etiam dictum,  
universalium hanc doctrinam, quæ esset præmium & intro-  
ductio



ductio quadam ad res melius cognoscendas, tractatui Aristotelico  
de rebus, praeferre voluit.

IV. Hic ita praealibi facilis admodum est responsio ad objectionem  
Crellij aliorumq; eundem defendentium, quae praedicamenta  
seu ipsas res & notiones primas praedicabilibus seu notionibus se-  
cundis praeponi debere, inferre & evincere conantur. Ipsas res  
enim natura monstrante, notionibus secundis iisdem impositis prio-  
res, & propterea iisdem anteferendas & praeponendas esse haud ob-  
scure innuere videntur. Considerent autem illi finem cuius gra-  
tia doctrina praedicabilium hic sit proposita, nimirum, ut sint introdu-  
ctio & proaequium ad praedicamenta dexterius percipienda. Ex  
quo quilibet facile concludere poterit, praedicabilia hac ratione,  
quia sunt introductio ad praedicamenta iisdem esse anteponenda.  
Cum omnis introductio & proaequium debeat tradi & proponi ante  
illam rem ad quam est introductio, & cuius est proaequium. Alias  
autem Praedicamenta seu ipsas res secundis notionibus esse prio-  
res negamus minime, cum hoc ipsum satis reddat manifestum  
ipsa ratio. Hic autem non agitur de ordine natura, sed melioris  
cognitionis & perceptionis, atq; sic per consequens ex etiã res quae  
ad alteram facit melius intelligendam ei rei quae per eam intelli-  
gitur, erit anteponenda, quod erat demonstrandum.

Crellij & alij  
dissentiant  
ab hoc ordine

probatio quare  
sint praestanda  
praedicabilia pri-  
marum.

Et

### Theorema Tertium.

Praedicabilia seu universalia sunt quinque;  
Genus, Species, differentia, proprium & ac-  
cidens.

I. Postquam in precedenti theoremate vidimus quid sint uni-  
versalia, quot sortiantur nomina, & quem in finem à Porphyrio  
alijsq; viris Praeclaris sint hic praeposita, Ideo in presenti quot coru  
sint



sunt, erit dicendum & indicandum. Quomodo enim res non uno eodemq; modo sed variè de se invicem dici & predicari possunt, sic etiam non unum predicabile, sed plura pro rerum diversitate predicandi sunt constituenda. Res namq; sunt mensura preceptorum & non precepta mensura rerum. Inveniuntur autem in rebus quinq; potissimum respectus seu aptitudines, quibus de se invicem predicari possunt, ut apud Logicos videre est. Pro quintuplici itaq; hac rerum predicandi aptitudine, quinq; etiam predicabilia seu universalia, Genus, species, differentia, proprium & accidens sunt constituenda, quorum quid quodlibet in specie sit jam sumus prolaturi.

Genus

II. Genus est Prædicabile seu universale quod de pluribus specie differentibus in quaestione, quid est, prædicatur. Consistit tota generis natura in eo ut possit de pluribus qua specie sunt diversa seu inter se differunt & distincta sunt, predicari in quaestione quid est, hoc est quando de essentia speciei alicujus sumus solliciti & quarimus, ut tum genus de eadem prædicetur seu dicatur, & definitionem ejusdem essentialem ingrediatur, ut quando quero, quid est homo? respondeo est animal. In hac enim quaestione animal de homine tanquam genus de sua specie prædicatur. Sic quando quero quid est Leo? respondeo est animal. Atq; in his duobus exemplis generis natura aliquatenus declaratur, animal enim de homine & Leone, quando quero quid quodlibet eorum sit, tanquam de duabus speciebus prædicatur.

Dividitur autem genus vulgò in generalissimum & subalternum. Genus generalissimum dicunt quod nihil se agnoscit superius cuius respectu possit fieri species: Subalternum verò quod modò species sc. respectu superioris alicujus generis, modò genus sc. respectu inferioris alicujus esse & constitui potest. Exemplum prioris sit substantia, hac enim nullum superius genus inveniri & excogitari potest, quando enim quero? quid est substantia? nihil respondere & aliquid

obijt



aliquid eidem tanquam legitimū genus attribuerē possum. Exem-  
plum posterioris sit animal, hoc enim modo genus sc. respectu ho-  
minis & Leonis, modo species sc. respectu substantia esse potest.  
Notandum tamen est quando dicimus quod substantia nullam  
superius attribui possit genus hoc ipsum intelligendum esse de gene-  
re univoco, quod aequaliter de suis predicatur speciebus & proprie  
genus est & non analogo, quod non eo modo, sed uni speciei prin-  
cipaliter, alteri verò minus principaliter attribuitur & improprie  
genus est. Aliàs enim eidem Ens Loco generis attribuitur, sed a-  
nalogicè tantum non verò univocè, de quo genere hic sumus solli-  
citi & sermonem instituimus.

III. Ex assertione & tractatione generis speciem esse facilius in-  
telligitur & dicitur. Omne enim genus habet speciem, & omnis  
species habet suum genus. Est autem species predicabile seu uni-  
versale quod sub genere aliquo continetur & attribuitur singula-  
ribus in questione quid est. Non potest melius speciei natura quam  
per exempla declarari, ideò etiam relicta longiore definitionis eno-  
datione per exempla tantum eandem declarabimus. Sic homo est  
species animalis & predicatur de Petro, Paulo & Jacobo, in  
questione quid est, ut quando quæro quid est Paulus? respondeo  
est homo, quando quæro quid est Petrus? respondeo est homo. &  
ita deinceps in reliquis.

Species deinde vel est specialissima, vel subalterna: species  
specialissima est qua semper est & manet species, & nunquam  
fit genus. Species verò subalterna est, qua modo est species, mo-  
do verò genus, species respectu superiorum, genus respectu inferio-  
rum. Priori exemplum est homo, leo, Asinus, qua nunquam fi-  
unt genera, sed semper manent species sc. animalia. Posterioris  
exemplum ut in declaratione generis factum, afferre possumus.  
Illud enim respectu superiorum sc. substantia est, & induit na-  
turam spec. ei: respectu verò hominis & Leonis assumit naturam  
generis,

B

generis,



individua non  
hnt locum in  
p d b l i b 9

quia

Differentia

Proprium

generis, de his enim tanquam suis speciebus predicatur in quaestione quid est.

IV. Possent hic quis dubitare & querere qualenam de individuis feramus iudicium numve & ea in numerum predicabilium seu universalium assumamus? ei respondemus, quod individua in numero predicabilium esse negemus, quia non possunt de alijs predicari, quod in quolibet predicabili, unde etiam nomen accepisse constat, requiritur & desideratur sed fundamenti loco eadem predicabilibus subijci credimus & asserimus.

V. Differentia est predicabile, quod generi additum certam cum eodem constituit speciem, & de specie predicatur in quale quid sit? ut quando proposito Homine, quale animal sit queritur? respondetur est animal rationale. Hoc enim respectu homo à brutis quæ rationis sunt expertia tanquam per specificam suam differentiam differt & distinctus est. Non enim loquimur hic de differentia communiter acceptâ, quâ ambulans à non ambulante distinguitur, nec de differentia propriâ, qua castro colore præditus differt ab eo, qui eodem non est præditus, sed de differentia propriissima, quâ rationale ab irrationali differt tanquam per formam suam substantialem. Francisc. Tolet in librum de Quinq; universalibus Porphyrii cap. de Different.

VI. Proprium est prædicabile quod de essentia rei non est, ab ea tamen immediatè tanquam effectus à sua causa emanat, & de unâ specie solâ, ac semper in quale prædicatur. Sic Species humana, sola & semper ridet, nec alijs animalibus præterquam homini risus convenit. Sic soli cani & semper & omni cani convenit latrare. Ne autem in vocabulo proprii præsertim cum ambiguum sit & multas habeat significationes ludere, videamur, ideo dicimus quod non de tali proprio quod soli alicui speciei & non omnibus ejusdem speciei competit individuus, Ut Logicum, Rhetoricum & Arithmeticum esse soli speciei competit & proprium est humana non verò omnibus omnino ejusdem speciei.



ei individuis seu omnibus hominibus nullo excepto loquamur. Sic multi homines vivunt qui nec legere, nec scribere nec secundum artem Logicam ratiocinari & discurrere possunt. Sic multi sunt qui precepta bene dicendi, persuadendi & his similia ignorant. Deinde nec de proprio quod omni individuo alicujus speciei, sed non soli competit, hic nobis sermo est, qualiter omni homini id est omni speciei humana individuo duos pedes habere, sed non soli, verum etiam alterius speciei individuo, ut animalis irrationalis gallina sc. anseri & similibus convenit. Nec de eo loquimur proprio, quod omni individuo alicuius speciei, & soli, sed non semper convenit, quo pacto omnibus & solis humana speciei individuo competit canescere: Sed de tali hic loquimur proprio quod antea a nobis definitum est, vid. quod soli semper & uni speciei & omnibus ejus individuis, qua ratione homini risu competere diximus. Nulli enim animali praterquam homini cui etiam soli, & semper risu attribui, & de eo predicari potest.

VII. Ultimum inter universalia locum occupat accidens, quod definitur predicabile, quod prater subjecti corruptionem adesse & abesse potest. Ut albedo prater subjecti alicujus destructionem puta in homine, adesse & abesse potest, salva interim, manente hominis essentia. Sic multi homines qui nigro colore, multi qui rubeo, multi qui alijs coloribus sunt praediti reperiuntur. Multi etiam multifariam accidens definire & varias ejusdem significationes, divisiones asserre solent, ut apud Francisc. Tolet. in librum de quinque universal. Porphy. cap. de Accid. & alios commentatores videre possumus, cum quibus quod vel legitime vel illegitime accidens definiaverint vel dividerint disputare nolumus, modo teneant ipsam rem de qua nobis in presentia sermo est institutus. Atque haec universalium secundum Porphyrium & ejusdem interpretes plerosque declaratio esto.


Accidens

CO-



## COROLLARIA.

- I. An prædicabilia anteponenda prædicamentis? Aff.  
II. Utrū universalia sint aliquid extra intellectum? Aff.  
III. *Resist. lib. 1. problem. 2. tab. 137* An propterea, quod etiam in topicis agitur de Prædicabilibus, in Logica Peripatetica committatur tautologia? N.  
IV. An quinq; tantum an verò plura dentur Prædicabilia? Affir. prius.  
V. An Individuum sit Universale?  
VI. An homo sit genus singulorum hominum?



*Ad Humanissimum & Doctissimum juvenem,*

*Petrum Scharlingium Respondentem,*

*Sympatriotam & amicum suum singularem.*

**D**um gaudent alij sese committere ponto,  
Ut modò divitias accumulare queant.  
Te juvat ingenium Scharlingi efferre per artes,  
Te studio Logices incubuisse juvat.  
O felix captum! Quid enim felicius esset,  
Nomina quam studijs docta parare tibi?  
Ergò perge ultra, Clarij cupidissime fontis,  
Perge, semel captam currere perge viam.  
Sic Patriæ fructus solves aliquando decentes,  
Sic tibi sic alijs commoda mille feres.  
Quod superest; felix nunc vive, atq; accipe care,  
Petre meum parvum nunc Epigramma. Vale.

NICOLAUS THEOPHILVS Rostoch.



*enod. 4  
Th. 2  
88 p. 111*





















306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis; & natura: nunquam vero corrumpitur; nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

### Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia sunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.


### Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se in corpore, sed semper extra corpus existit.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore, per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore esse. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione esse bonus, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document

Image Engineering - Scan Reference Chart - TE263 - Serial No. 077

Patch Reference numbers on UTT